


B.R. 530, 12.

B. m. II




(X 1853668)

BIBLIOTHECA
AUGUSTA,

SERENISSIMI, ILLUSTRISIMI
PRINCIPIS, ac DOMINI,

DN. AUGUSTI,
Ducis Brunovicensis, & Lunæ-
burgenfis.

Qvæ est WOLFERBYTI.



z. L.

a.)

2 Bart Heyen



In Bibliothecam Au- gustum.

*Viderat Augustam Dea Cæsia Bibliothecam,
Augusti manibus Guelphicâ in Urbe strui:
Nunc mihi turrigeras quantumvis Marspiter arces
Objice, quas vehemens Occara cingit, ait.
Grandia si Libris præfers tormenta, memento
Illa homines miseros, hanc posuisse Deum.*

M. Henricus Julius Scheurl
Moralium in Acad. Julia Pro-
fessor publicus.

[Closius, Samuel] Vof.



BIBLIOTHECA AUGUSTA,
qvæ hodie Gvelpherbyti, antiquissimâ
Ducum Brunovicensium Sede visitur, sive
locum, sive armaria, sive ipsam deniqve
molem, & congeriem Librorum, sub eo nomine in-
telligas, primum, & unicū Autorem habet, Serenissi-
mum Illustrissimum Principem, ac Dominum,
Dominum AUGUSTUM, Ducem Brunovi-
ensem & Lunæburgensem, qvi ut à primis adole-
scentiæ annis, artium cultor solertissimus, & inge-
niorum censor acutissimus, ita etiam, qvod istis ad-
hæret, præstantissimorum in omni eruditionis ge-
nere Librorum amantissimus.

Exemplum qvidem, & ardorem, Illustrissimus
Princeps ad istos conatus, à Regibus & Imperatori-
bus, qvi curam hanc verè Regiam, sibi propriam esse
voluerunt: Rem verò nullam ab aliis habuit. Obver-
sabatur nempe animo Osymanduas Ægypti Rex,
qui ut est apud Diodorum Siculum, lib. i. cap. 49.
sacræ Bibliothecæ à se erectæ, titulum esse voluit:
Ψυχῆς ιατρεῖον, MEDICATORIUM ANIMÆ, *ut vertit L.*
Rhodomanus, ejusq; ut in Regno, ita & in laudabili

instituto post aliquot secula Successor Ptolomæus
Philadelphus, cuius Bibliotheca, exemplo, imò & Li-
bris summi Aristotelis instructa, omnium Historico-
rum ore, & laudibus celebris: Eumenes item, seu At-
talus, (utriq; enim, huic patri, illi filio laudem hanc
Historia tribuit) Pergami Reges, qvorum tantum in
hoc negotio studium, ut cùm Ptolomæus chartas seu
papyrus, qvam sola AEgyptus suppeditaverat, invi-
dè suppresseret, veritus, ne Attalus veterem illam
AEgypti Bibliothecam novâ suâ æqvaret, ille ferro,
qvoddicitur, viam sibi aperiendam, novamq; Libro-
rum confiendorum rationem inveniendam censem-
ret, optimo sanè successu: membranarum enim ex
corio animalium confectarum usum, *ut Varro au-*
tore est apud Plinium lib. 13. cap. 11. invenit, cui omne
qvicquid ad Typographiæ inventionem usq; supe-
rat Librorum, unicè debemus. Vnde meritò factum
est, ut in æviternam inventoris Pergami Regis me-
moriā, hujusmodi membranæ adhuc hodie Per-
gamenæ dicantur.

Nec defuit Principi domesticum Illustrisimo-
rum Antecessorū lineæ Principalis Guelphicæ, Arcis
Guelpherbyti Posseſſorum, exemplū, qvi & ipſi ſu-
periori ſeculo inſtruētissimam Bibliothecam, copiā
tamen Librorum huic Auguſtæ non comparandam,

pa-



paraverant, qvam demū Anno æræ Dionysianæ 1617.
ultimus istius Lineæ *FRIΔERICUS ULRICUS*, Academiæ
Juliæ, qvæ est Helmæstadii, possidendam, & utendam
liberaliter contulit. Res, ut patet, augurio, & omne
felicissimo non carens. Vt enim Principi *AUGUSTO*
possessio, & avita Sedes Ducatus Gvelphici, fatis du-
dum destinata demonstraretur, idem Genius, qvē in
postremis istius Ducatus Posseforibus *HENRICO Bel-
licoſo, ſeu Juniore, JULIO Pacifico, HENRICO JULIO ſa-
pientiſimo, & FRIΔERICO ULDARICO* mitiſimo, uni-
versus Orbis admirabatur, in Principem *AUGUSTUM*
eruditissimū, transferendus erat, atq; ut illuſtrior eſſet
eius fama, omne qvicqvid in re Librariâ Anteceſſorū
diligentia præſtiterat, ad Academiam Julianam transire,
omnis verò laus erectæ Bibliothecæ *Augustæ*, ſoli &
unico Principi *AUGUSTO* propria eſſe debebatur.

Superasfe autem non immeritò dicendus eſt
AUGUSTUS in hoc studio, & opere, ſive *Ptolomæos*, ſive
Attalos, ſive *JULIUM*, & *AUGUSTUM*, primos Romanorum
Imperatores, (nec horum enim ſtudium in
negotio librario eruditis ignotum) qvòd *Ptolomæus*
Philadelphus non proprio ſive ingenio, ſive induſtriâ,
fed alienâ, *Demetrii* nempe *Phalerei* viri Atheniensis,
ſcriptis, & factis illuſtrissimi, rem confecerit: Cæſar

verò curam hanc, qvā magno animo conceperat, & nisi fata intercepissent, absolvisset, *Marcus Varroni*, Græcorum Latinorumq; doctissimo, qvo nullus ea tempestate in orbे terrarū isti negotio aptior, dederit. *Augustus* qvoq; *Imperator*, nec ipse quidem, sed per *Asinium Pollionem* (Oratorem, & Senatorem Romanum nobilem) absolvit:

Princeps verò *Augustus*, & primus autor pulcherrimi sui Operis, & sibi metipsi Demetrius, Varro, Pollio, cuius solius vigiliis, & curis nocturnis diurnisq; Bibliotheca *Augusta* acquisita, & composita est. Exemplo *Pisistrati*, Atheniensium, ut tum vocabantur, Tyranni, qui Bibliothecam Athenensem ad publicum usum, non per alios, sed ipse componebat, cui & Homerum digestum, correctumq; debemus: Magnus profecto vir, modò cognomen illud odiosum tollas.

Initium Bibliothecæ Augustæ colligendæ factum est, Anno æræ Dionysianæ 1604. ad confluentem Albis, & Jetzæ, in Principis *Augusti* Ducatu Lunæburgico, in Aulâ, & adjuncto cognomini oppido Hitzackerâ, loco quidem ante constitutam ibidem Principis Aulam, satis obscurum, quem tamen non minùs atq; olim Ulysses Ithacam suam satis illustrem reddidit.

dit. In hoc recessu satis amœno, inter alia Principis opera magnifica, parvis primùm initiis crevit hæc Bibliotheca, in illam magnitudinem, quæ hodie non sine admiratione cernitur.

Ex hereditate ullâ nihil erat, quod in tantæ molis auspiciū, aut fundamentum cederet, immensis autem sumptibus conquirebatur, quicquid optimæ notæ Librorum, in qvocunq; genere eruditionis in Germaniâ, Galliâ, Hispaniâ, Angliâ, Belgio ipsâ deniq; Italiâ inveniri poterat.

Quicquid erat doctorum virorum Romæ, Neapoli, Venetiis, Florentiæ (qvibus in locis Princeps AUGUSTUS per aliquot annos eruditissimorum virorum familiaritate usus erat) Lutetiæ, Londini, Oxoniæ, ut de Germaniâ nihil addatur, illorum operâ magnis sumptibus ad conquirendos optimæ notæ Libros conducebatur.

Incrementum operi cœpto haud contemnendum dedit Bibliotheca summi viri, & de universâ Germaniâ optimè meriti *Maruardi Freheri*, *Cælii*, item *Curionis*, ejusdemq; filii *Cælii Augustini Curionis*, magno Reipubl. literariæ damno, in ipso ætatis flore, ante parentem extincti: *Joachimi* quoq; *Clutenii*, cuius variam eruditionem Sylloge ejus rerum quotidianarum satis demonstrat,

Crevit igitur in magnum, & merito suo admirandum numerum, non quorumvis, sed optimorum, & selectorum Librorum, ut hodie, (14. nempe Maji, Anni 1653.) numerentur ἀπλά βιβλία, (ut vocat Plutarchus in M. Antonio) singulares Libri seu Volumina, licet in uno Volumine plures sæpe Libri, sive Tractatus, inveniantur, 22742.

Voluminum nimirum, (secundum seriem & ordinem, quæ collocati, extant in Bibliothecâ Libri:)

Theologicorum	8077	Mathematicorum in gene-
Juridicorum	2647	re & in specie Geometri-
Historicorum	2658	corum 228
Ad res Bellicas pertinen-		Arithmeticorum 61
tium	164	Poeticorum 838
Politicorum	904	Logicorum 136
Oeconomicorum	44	Rheticorum 449
Ethicorum	902	Grammaticorum 453
Medicorum	623	Variorum, seu ut vulgo
Geographicorum	120	vocantur Quodlibetico-
Astronomicorum	243	rum, in quibus scilicet
Musicorum	61	vel diversi Tractatus,
Physicorum, & quæ ad pri-		ad diversas disciplinas
mam Philosophiam per-		pertinentes, conjuncti vi-
tinent	530	suntur: vel tales Tra-
		ctatus

(A)

<i>Etatus in iis deprehen-</i>	<i>res, quorum monumen-</i>
<i>duntur, in quibus varia</i>	<i>ta in predictis volumi-</i>
<i>modo ad has, modo ad</i>	<i>nibus extant, numeran-</i>
<i>alias disciplinas perte-</i>	<i>tur</i>
<i>nentia explicantur.</i> 2341	38099
<i>Manuscriptorum</i> 1263	<i>Tractatus autem, sive di-</i>
<i>Scriptores verò seu Autho-</i>	<i>versorum sive eorundē</i>
	<i>Autorum</i>
	71545.

Et ne quis immortalia ipsius Principis AUGUSTI monumenta h̄ic desideret, visuntur non tantum ibidem ea, quæ ab alienâ profecta industriâ, vitam ipsi debent, veluti, (ut de multis pauci nominentur) Antonii Bonfini *symposion trimetron*: Bartholomaei Fontii *Commentarius in Persium*, verūm etiam præclara ejusmetipsius Scripta, eruditorum Orbi sub nomine GUSTAVI SELENI, olim exhibita: CRYPTOGRAPHIA nempe, quā (teste Clarissimo Naudœ in *Bibliographiâ Politicâ*) eruditissimi Trithemii Steganographia haetenus omnibus fermè eruditis, ipsi etiam FRANCISCO JUNIO magica credita, hujusq; judicio, Vulcano consecrata, ita illustrata est, ut quicquid in Trithemio obscurum involutumq; tam diu in summâ omnium veneratione, & opinione delituerat, omnium oculis patefactum, atq; retem sit. Videatur eruditissimus Gerhardus Joh.

B

Vos-

ni-
ū,
ji,
u-
ni-
ra-
us
&
ccâ
oin
ne-
tri-
228
61
838
136
149
453
ulgó
ico-
licet
us,
inas
iivi-
Tra-
atus



Vossius, ipsius Clarissimi Francisci Junii gener,
libro de arte Grammaticâ primo, Cap. 41. Præter Tri-
themii Steganographica in Opere hoc Cryptogra-
phico omnia ea explicantur, & clarissimæ luci expo-
nuntur, quæ, in isto reconditæ scientiæ & profundæ
indaginis negotio, humani ingenii vis excogitare
potuit.

Lusus quoq; SCHACHIAE unà cum RYTHMO-
MACHIA seriæ & profundæ eruditionis Opus. Pro-
diit uterq; Liber, iste quidem Lunæburgi, hic ve-
rò Lipsiæ in formâ majori, seu folio, ut vocant,
elegantissimis typis excusus, & imaginibus exor-
natus.

HISTORIA item vitæ τῆς Σωτῆρος JESU CHRISTI,
ex qvatuor, ut vocantur, Evangelistarum, & reli-
quis novi Fœderis libris, sermone Principis patrio
concinnata & accuratâ pensatione ita elaborata,
ut quicquid haetenus difficultatum, seu ἀναγνωρίσαντες
omnium eruditorum ingenia mirificè exercuit, id
feliciter explicatum, & sacrorum Scriptorum con-
sensus, ut *Augustinus loquitur*, clarissimè demon-
stratus fit.

Manuscriptorum, ut vocantur, librorum haud
contemnendus in hac Bibliothecâ est numerus, &
Thesaurus, qvorum nonnullos ipse Princeps in Un-
gariâ

gariâ , occasione itinerum ad D. D. Imperatores
RUDOLPHUM II. & FERDINANDUM II. in arduis ne-
gotiis susceptorū, magno ære redemit, in tenuissimâ
magni pretii membranâ elegantissimis litteris scri-
ptos, laciniā illustrissimæ Bibliothecæ, Budæ, Regni
Ungariæ Metropoli qvondam, à *Matthia Hunniade*
Corvino, circà An. Christi 1485. erectæ, & Turcarum
Tyranno Solymanno, cum Anno ære Dionys. 1541.
fraude, & vi Budam caperet, viduamq; Johannis Re-
gis Hungariæ Elisabetham, qvam cum Regno de-
fendendam se venisse simulaverat, cum filio in-
fanteejiceret, eruptæ.

Biblioteca hæc Matthiæ Hunniadis (verba sunt
Antonii Bonfinii, rerum Ungaricarū decad. 4. lib. 7.)
mirâ utriusq; lingvæ fæcunditate fuit completa, cultus
autem Librorum luxuriosissimus: cujus posterioris
testes locupletissimi sunt hi Manuscripti, qvorum
occasione hæc adducta sunt.

Nec desunt *Instrumenta Mathematica* exquisi-
tissimè fabrefacta, Sphæræ item & Globi, qvibus
Sphæræ cœlestis sidera & motus, facies item Globi
terrestris miro artificio accuratè representantur.

Neqvaquam verò numero isto, qvem supra
posuimus, clauditur hæc Bibliotheca, cum quotidiè

magnis sumtibus, & indefeso studio accedat, & conqviratur, qvicqvid melioris notæ Librorum sive noviter, sive denuò editum prodit, aut in omnibus orbis partibus investigari, & redimi potest, adeoq; Bibliotheca hæc AUGUSTA ne vanum sit nominis augurium, singulis diebus augetur.

Primordia, ut supra notatum, in tranquillo Principis AUGUSTI Hitzakerianæ Ithacæ Regno, fatis quidem auspiciatò sumfit, parum tamen aberat, qvin Anno Christi 1636. absente Principe, & Aulam suam Brunsvicum, Urbem suam hæreditariam, transferrente, tagaces manus $\tau\hat{\nu}$ $\delta\hat{\nu}\nu$ Bellonæ Filii, à Principe nunquam læsi, experta fuisset: qui licet spe & animo eam plane devoraverat, vigili tamen Principis curâ & itinere properatisimo, ungvibus hujus Harpiæ intercipiebatur. Fatum istud olim experta erat illustris Atheniensium Bibliotheca, cum Xerxes Persarum Monarcha, devictis Atheniensib⁹, hostibus suis, potissimam prædæ partem eam faceret, & transferret. Restituit tamen eandem trecentos triginta post Annos, Seleucus Nicanor Syriæ Rex, qui eam insigniter auētam, magnis item muneribus locupletatam, Athenas remittendam curavit.

Postquam igitur dominium & possessio Ducatus Guelphici, Princi Augusto legitimè delata erat,

erat, Arx verò Gvelpherbytana, avita & vera Ducum
Brunsvicensium Sedes, qvæ Seculi hujus est injuria,
legitimum suum dominum nondùm admitteret,
transtulit Bibliothecam Princeps Brunsvicum, Duca-
tus Gvelphici Metropolin, & avitum Ducum Bruns-
vicensium dominium, unà cum Ducatu, jure here-
ditario sibi delatum, eiq; locum concesfit satis ma-
gnificum, in antiquissimâ Majorum fuorum *TAN-*
QUARDI & BRUNONIS, fratribus, Ducum Saxonie
(cui posteriori, & ortum, & nomen Brunsvicum
debet) Sede, contiguâ Augustissimo St. Blasii Tem-
plo, condito olim ab *HENRICO LEONE*, nemini His-
toriorum non celebrato, à quo Princeps Augus-
tus rectâ, qvod dicitur, linea, ortum dicit.

Optimo sanè consilio, qvod & olim veteres
Ægypti Reges Bibliothecas suas Memphi, celeber-
rimæ Ægypti Metropoli, in Templo Vulcani (cujus
magnificentiam apud Herodotum videre licet) ha-
bitare voluerint: Ptolomæi item tam prior, qvàm
posterior, à Cleopatrâ, Antonii Triumviri amori-
bus famosâ, è ruderibus excitata Bibliotheca, Ale-
xandriæ apud Serapidis, immensæ molis & stupendi
artificii Templum, totius Ægyptiacæ superstitionis
arcem, collocata fuerit, teste *Tertulliano*, qui genti-

les, ad inspiciendum textum Hebræum S. Scripturæ,
eò advocat & amandat.

Acceptâ tandem XIV. Septembris, Anno 1643.
Arce & Urbe *VVolferbyto*, transiit eodem unà cum
Principe, Bibliotheca hæc Augusta, sedemq; sortita
est è regione Aulæ illustrissimæ, adeoq; reddita est
pars Regiæ, ut Principi semper in propinquo &
promptu sint, *immortales illæ, eademq; sanctissimæ*
nunquam non loquentes Animæ, ut *Plinius* hujusmo-
di eruditorum monumenta scitè vocat lib. 35. Cap. 2.
Locus, seu ædificium ubi reposita est, olim loricis,
scutis, hastis, aliisq; Bellonæ ornamenti & instru-
mentis aservandis destinatus fuerat, dignus omni-
nò cui hodie aureis literis titulus fiat:

— — — *Armamentaria sacræ*
Pallados, & doctis habitata Palatia Musis.

Aditus ejus Augustissimus, solitam Principis Magni-
ficentiam spirans, ipsum tamen sacrarium modicè
ornatū, qvin potiùs ad exemplum peritorum Archi-
tectorum, neq; aureo lacunari comptum, neq; pa-
vimentum, neq; armaria, seu peggata, ut Cicero
vocat, neq; cunei, loculi aut plutei alium qvàm viri-
dem colorem referunt: Fulgorem enim, sive au-
reum, sive qvemvis alium oculis officere, viridem
è con-

è contra colorem reficiendis, & recreandis esse oculis, scriptio[n]i, & lectioni, dudum notatum est naturæ Mystis.

Usum hujus Bibliothecæ qvod attinet, non in spectaculum, aut ornamentum studiosâ qvadâ luxuriâ, ut olim qverebatur Seneca, conquisitus est hic Thesaurus, nec ut cum blattis, tineis, situ, & squalore bellum gerat: Sed ideò pars Regiæ facta est, ut ipsi Principi in propinqvo, & promptu sit sanctissimarum & sapientissimarum Animarum Senatus frequentissimus, cum qvo disferat, animū instruat, paret, & ad qvascunq; Regii officii partes componat. Id enim exprimit ea, qvam aureis Literis in vestibulo Bibliothecæ legi voluit *wāμη*, pulcherrima sanè, gemmis omnibus & auro contra carior:

QVANDO OMNES PASSIM LOQVUNTUR, ET DELIBERANT, OPTIMUM A MUTIS ET MORTUIS CONSILIUM EST; HOMINES QVOQVE SI TACEANT, VOCEM INVENIENT LIBRI, ET QVÆ NEMO DICIT, PRUDENS ANTIQUITAS SUGGERIT.

Eadem olim mens *Alphonso Arragoniæ Regi*, cui quotidie in ore, *Mortuos esse optimos Consiliarios*.

Nec aliud responsum tulit *Zeno Citticus Philo-*
phu,

ræ,
43.
um
tita
est
&
imæ
no-
p.2.
cis,
tru-
nni-
usis.
gni-
dice
chi-
spa-
cero
wiri-
au-
dem
con-



phus, oraculum sciscitans, (verba sunt Diogen. Laertii, lib. 8. de Vitis Philosophorum, in princ.) quo pacto optimè vivere posset? nempe; Εἰ συγχρωτίζοι τοῖς νεκροῖς, hoc est, Si mortuis colore concors fieret, sive, ut Zeno verè interpretabatur, Si antiquorum mortuorum familiaritate uteretur, eorumq; Libros magnâ attentione & studio, ad pallorem usq; legeret. In Bibliothecis enim, ut de Juliâ qvondam cecinit Magnus Calixtus:

— vitam vivunt, & post sua fata loquuntur
Seclorumq; minas superant, & edacia rerum
Tempora, qui terris caput altius exeruerunt,
Naturæq; super fines, super aethera celsum
Evexere animum. Solahæc monumenta supersunt,
Per quæ pugnat adhuc, vincit gentesq;, triumphat,
Magnus Alexander, quin unquam magnanimorum
Quicquid in orbe Ducum fuit, ex quo blanda Cupido
Laudis, & humanas tentavit gloria mentes.
Nil vivit vivetq;, nisi hic quod creditur: omne
Quod reliquum est, nox alta & longa oblivio opacant.
Hic etiamnum Melpomene subnixa Cothurno,
Lata Sophocleis diducit hiatibus ora,
Confusosq; lares & tristia funera Regum,
Oedipoda Thalamos, & sœvum plangit Oresten,
Hic legere est, queis firmetur Res publica fulcris,

E



*Et quid Erechthæas olim servarit Athenas,
Quid pesum dederit: quibus artibus incluta Roma
Creverit, & populos, magnasq; subegerit urbes:
Quævis etiam vitiis sensim labefacta, ruinam
Traxerit & lapsu totum tremefecerit Orbem:
Hic recluduntur naturæ arcana, sinusq;
Dædalei, & quicquid gremio complectitur, arctis
Inclusum foliis, vigili cognoscere mente
In promptu est: hic descriptam pictam vè tueri
Terrarum faciem & vastæ datur Amphitrites,
Titanisq; Globum, Lunæ erroresq;, laboresq;
Et picturati fulgentia sidera cœli.
Quin ipsum ad cœlos & splendida panditur astra
Heic iter, à patribus quondam per saxa, per ignes
Calcatum, & largo respersum sanguinis imbre.*

Et cum ipse Princeps nullum diem prætermittat, per quem cum mutis illis Doctoribus, de difficultissimis negotiis, sive sacris, sive civilibus, sive militibus, non colloqvatur, fit, ut ipse sub clavibus quidem suis habeat Bibliothecam, ejusdemq; jus & mancipium sibi retineat, usum verò eruditis omnibus, & præsertim ministris suis, quorum ope, seu sacra, seu civilia tractat, secum communem conce-
C dat,

dat, nec cuiquam alii, nisi qui nummo forsan har-
pacico hic aliquid emtum veniat, deneget.

Silentio autem nequaquam prætereundum est, immensam istam Librorum, Autorum & Tractatum molem, ipsum Principem aliquot amplissimis Indicibus in eum ordinem, classes & numeros, suimet industriâ & manu redegisse, ut ad primam cujuslibet, sive Autoris, sive Materiæ requisitionem, quocunq; in genere disciplinarum, præstò sit, primoq; statim momento se tibi sistat & respondeat, quem volueris, aut vocaveris.

Nec ullus est in tanto hoc Autorum, & Librorum agmine, quem non noverit ipse Princeps Augustus, eâ in re non inferior CYRO, Persarum Monarchæ, qui unumquemq; militum in numerosissimo suo exercitu, proprio nomine ad se vocare poterat.

Sufficient paucissima hæc, de multis dicta, ceu stillicidium, ut vetus habet verbum, de situlâ.

Experiatur qui volet, inspiciendi, & penitus perscrutandi copiam nactus, de pretiosissimo hoc divinæ & humanæ sapientiæ Thesauro, idem, quod olim Regina Sabæa de Sapientiâ Salomonis profitebatur, paucissimis tantum immutatis, proferet.

3. Reg.

3. Reg. 10. Non credidi verbis narrantium mihi de rebus & sapientia tua, usq; dum venerim, & viderint oculi mei: Sed ecce non indicatum mihi fuerat ejus diuidum, superas sapientia & bonitate famam, quam audiveram.

Si igitur, teste Julio Capitolino, *Gordianum Imperatorem ad cælum tulit*, *Sammonici Serenij morientis sexaginta duorum millium Librorum relicta Bibliotheca*, siquidem (verba sunt Capitolini) tantæ Bibliothecæ copiæ & splendore donatus, in famam hominum, literatorum ore pervenit, adeoq; alienis planè sumptibus, & diligentia clarus evasit: Si *Ptolomæi, Attalus, Cæsar, Augustus sumtibus quidē suis*, aut certè manubiis, alienâ tamen diligentia, clarissimi extiterunt: *Qvid de Principe Augusto fiet*, cuius hunc tantum Thesaurum, non alienis sumtibus, non manubiis, non alienæ diligentiae, sed propriæ curæ & sollicitudini, in cuius partem neminem hactenus vocavit, propriis item, iisdemq; verè Regiis impensis, (qvibus alii, sive Baccho, sive Dianæ, sive Mercurio, sive aliis voluptatum illecebbris litant) debemus? *Ubi verò estis Principes*, ut vos urat ac excitet honestus æmulandi ignis?

C 2

Fa-

Faxit Deus, ut Thesaurus hic re-
rum divinarum, æternarum, sit &
ipseæternus, neq; prius, qvàm Mun-
di universa machina, laboret, aut
intercidat.

Quæta 146

F I N I S.



107

24

Viderat.
Au
Nunc mihi
Objice
Grandia si
Illa ho



othecam,
in Urbe strui:
arspiter arces
git, ait.
emento
Deum.

Julius Scheurl/
n Acad. Julia Pro-
cuss.